

S. Cong. ad supradicta dubia rescripsit :

Ad primum : AFFIRMATIVE.

Ad secundum : NEGATIVE, firma prohibitionem recipiendi eleemosynam pro secunda Missa.

Ad tertium : NEGATIVE, quatenus curam animarum non habeant, firma semper prohibitionem recipiendi eleemosynam pro secunda Missa. *Analecta Juris Pontificii*, 30<sup>e</sup> livraison, Janvier 1859. — V. Binage, p. 1353.

## CASUS XI.

## APPLICATIO MISSÆ.

*Ratione stipendii 6<sup>o</sup>.*

## MALE PROVIDUS SACERDOS!

JULIANUS, Sacerdos, satagit ut honoraria Missarum quamplurima colligat et congerat, ne forte in posterum sibi deficient : « Nonne, ait, tempe porum tempestas ingruere potest? Si vero refrigescat fidelium pietas, « honoraria non superfluent... Attamen qui inservit altari jus habet, « ut semper de altari edere possit. » Si tamen stipendia quædam minora ipsi offerantur, ultro ea aliis Sacerdotibus distribuit, ut alia pinguiora eorum loco accipiat. Quamobrem, Missas pro defunctis acceptas ad tres vel quatuor menses protrahit; pro vivis vero ad plures annos differt. Nec satis curat de conficienda tabella, in qua Sacra faciendæ per ordinem referantur; sed partim memoriæ, partim fragmentis papyraceis male compositis, et signis sibi soli cognitis confidit. Interea JULIANUS, providus simul et improvidus, seu male providus Sacerdos, repentino morbo correptus, mox sensibus destituitur, et paulo post morte improvisa perimitur. Stipendia autem Missarum in arca pecuniaria JULIANI minime distincta, neque clare adnotata, in hæredum prædam deveniunt. Lugent interea in purgatorio animæ, quæ a Sacris non dilatis sublevatæ, vel etiam liberatæ fuissent!

HINC :

QUÆR. 1<sup>o</sup> Qualis dilatio sit gravis, quoad Missas pro vivis, accepto stipendio, celebrandas?

2<sup>o</sup> Quid vero quoad Sacra pro recens defunctis faciendæ?

3<sup>o</sup> Quid vero tenendum sit quando ignoratur intentio fidelium qui stipendia erogaverunt, scilicet, an pro vivis, aut pro defunctis Missam requirant?

4<sup>o</sup> An gravis sit dilatio, vel omissio Sacri pro tenui stipendio promissi?

5<sup>o</sup> Quid de JULIANO dicendum?

SOLUTIO :

351. — R. ad 1<sup>m</sup> Quæst. Certo gravis habenda est dilatio quæ tres menses excedit, quando pro vivis Missa celebranda est. Ita communiter contra plures, qui ad peccatum grave annum integrum requirunt. Proba-

biliter autem, ut videtur, non peccat ille qui præfatas Missas intra duos menses celebrat. S. Lig. n. 317, post Lugo et Tourn. qui ait hoc esse commune.

352. — R. ad 2<sup>m</sup> Quæst. Multo minor dilatio requiritur ad graviter peccandum, si de Missis in gratiam defunctorum celebrandis agatur. Imo, juxta S. Lig., Lugo, et alios multos, dilatio unius mensis ut gravis reputanda est. Heu! quot Sacerdotes incauti et incuriosi peccati lethalis rei evadunt, ob protractas Missas pro defunctis celebrandas! Cæterum attende ad statuta Episcoporum particularia, si quæ in tua diocesi reperiantur. Sed, independentem ab omni statuto positivo, certo peccat graviter Sacerdos, quoties Missam pro aliqua gravi et urgente necessitate ab ipso petitam et promissam celebrare omittit intra tempus celebrationi aptum. S. Lig. *ibid.*; et juxta Ronc. et Cont. Tourn. Sacerdos tunc tenetur stipendium acceptum restituere, licet deinceps celebraverit.

Attamen omni culpa carebit Sacerdos Missas pro stipendio celebrandas protrahens ultra regulas modo statutas, si v. g. centena stipendia ab aliquo accipiat, ita ut Sacra ab ipso *personaliter* celebranda sint. Imo in hoc casu nonnulla alia Sacra licite interponere valet, juxta intentionem præsumptam prioris erogantis (1).

353. — R. ad 3<sup>m</sup> Quæst. Ex consuetudine generaliter accepta in his casibus, qui frequenter recurrunt, Missæ intra duos menses celebrandæ sunt (2).

R. ad 4<sup>m</sup> Quæst. *Affirmative*, nisi stipendium adeo tenue sit ut Missa gratis promissa videatur, quod vix in praxi locum habet. Ratio est, quia solvens pretium, notabile detrimentum patitur. Secus enim, quare peccaret graviter omittens celebrare Missam, uno franco tantum pro stipendio accepto, quod tamen certum est et ab omnibus admissum? Nonne tamen hoc materiam levem in se constituit? Non est igitur attendendum ad stipendii quantitatem, sed ad materiam contractus in complexu suo spectatam, quæ semper gravis est. S. Lig. et alii communiter.

354. — R. ad 5<sup>m</sup> Quæst. Quid de JULIANO? Quis ei indulgebit! Quam lugendus miserandi Sacerdotis casus! Utinam casus ille fictus et non factus foret! JULIANUS fidem vivis debitam in re gravissima infregit et defunctos diris devovit cruciatibus; quapropter æternam gehennæ pœnam certo est meritus.

Sed, ait : *Mihi providendum est pro tempore futuro.* — R. Sed nonne

(1) « Lorsqu'un fidèle remet à un prêtre une somme considérable, 500 fr. par exemple, pour des rétributions de Messes, en le priant de les acquitter lui-même, celui-ci peut s'en charger, sans être obligé de dire la Messe tous les jours, ni de l'appliquer absolument, toutes les fois qu'il la dit, à la même personne. Il peut la dire de temps en temps ou pour lui-même, ou pour ses parents, ou pour d'autres personnes, pourvu que cela n'arrive que rarement. » Goussel, n. 299.

(2) « Si, comme il arrive souvent, celui qui a donné des honoraires n'a pas fait connaître son intention, s'il n'a fixé aucun terme pour l'acquiescement des Messes, il est communément reçu qu'on peut prendre deux mois pour les acquitter. » Goussel, n. 299.

gravi obligationi suæ conscientiæ, animæque et salutis æternæ magis providendum est? — Objicit iterum : *Jus habeo ut de altari vivam, cum altari inserviam.* — R. Sed, JULIANE! hoc jus non habes, nisi illæsa lege naturali et divina. Jus habes, numquid jus per fas et nefas dari potest? Jus habes! sed nonne pii fideles, qui tibi stipendia Missarum erogaverunt, etiam jus habent ut debito tuo satisfacias? Numquid jus non habent animæ purgantes, ne in carcere ignifero a te detineantur? Audias ejulantium animarum suspiria, gemitus, clamores! *Ecce clamor earum in aures Domini Sabaoth introivit.* Jac. 5. 4.

## CASUS XII.

## APPLICATIONIS PERMUTATIO.

TITIANUS, Parochus, a nobili et piissima femina aureum accepit, ut Sacrum in altari B. M. Virginis die sabbati pro ipsa offerret. Sed hac eadem die debet etiam Sacrum facere propter recens defunctum. Quid faciet? Pergit ad TIBURTIVM, Sacerdotem sibi amicitia conjunctum : « Visne, ait, celebrare Missam absque stipendio, ad meam intentionem, « die sabbati proxima, et ego die lunæ tibi vicem rependam, Sacrum ad « tuam intentionem faciendo? » TITIANI votis annuit TIBURTIVS. Sic utrique oneri eadem die satisfacit Parochus, et aureum nummum sibi retinuit.

HINC :

QUÆR. 1° *An licite egerit TITIANUS permutationem intentionis cum alio Sacerdote faciendo, aureo sibi retento?*

2° *Quid si pia mulier, quæ aureum erogaverat, conditionem apposuisset ut ipse TITIANUS Sacrum ad suam intentionem faceret?*

SOLUTIO :

355. — R. ad 1<sup>m</sup> Quæs. *Affirmative probabilius.* Non videtur enim quare inquietandus esset, siquidem nihil egit contra præceptum quo divisio stipendii prohibetur; neque hic habetur stipendii, sed solius intentionis permutatio, cum nulla pecunia ab uno in alterum erogetur. Atqui in sola intentionis permutatione nulla intercedit turpis lucri species. Ergo hæc permutatio, neque *directe*, neque *indirecte*, seu implicite prohibita videtur. *Lacroix*, n. 134, cum *aliis*. Contradicit tamen *S. Lig.*, cum *Concina*, qui tamen admittunt non esse mortale. Sed, si hoc non est mortale, non pugnat contra legem Ecclesiæ quæ gravis est, et pro cujus violatione censura suspensionis incurritur. Insuper non videtur qualis sit deordinatio in Sacerdote, si, occurrente duplici Missa eodem die celebranda, eligat eam pro qua stipendium majus tribuitur.

356. — R. ad 2<sup>m</sup> Quæs. Nihilominus TITIANUS obligationi suæ satisfacisset. Ratio est, quia hujusmodi conditio minime afficit substantiam contractus, quæ est ut Missa celebretur ad altare B. Virginis tali die. Circumstantia enim celebrantis est mere accidentalis, et quidem levissima.

Mulier igitur non censeretur voluisse ponere hanc conditionem, velut esset conditio *sine qua non*.

## CASUS XIII.

## MODUS CELEBRANDI 1°.

*Errans in Missa.*

FLORIMUNDUS, Sacerdos, non mediocriter distractus, varios errores in celebratione Missæ committit. 1° Aliquando, dum devote Orationem Dominicam recitat, attonitus et obstupefactus advertit se jam huc usque advenisse, quin ullo modo de facta consecratione recordetur. Totus animo perturbatus, omnia a Consecratione repetit. 2° Alias, dum pervenisset ad *Memento mortuorum*, admonetur ab alio Sacerdote, in Ecclesia præsentem, se Calicis consecrationem omississe. Hanc illico supplet, et omnia ab ipsa repetit. 3° Alias discooperto Calice, facta genuflexione, accepta Hostia, ad signa crucis de more ducenda, similitudine signorum deceptus eam frangit, et immissa in Calicem particula, alacriter et fervide pectus tundendo, recitat *Agnus Dei*, etc. Sed ecce perterritus advertit ad nimiam festinationem, et ad notabilem omissionem; tantum enim ad Orationem Dominicam pervenerat. Nihilominus prosequitur, retrogredi coram assistentibus non audens. 4° Alias etiam, dum intendit signare Calicem cum Hostia, ecce, nescio quo casu, hæc in Calicem integra decidit, totaque Christi sanguine perfunditur et imbibitur. Quid faciet miser? et quomodo signa peraget quæ cum Hostia peragenda sunt? Plane ignorat; quapropter hæc omnia omittit.

HINC :

QUÆR. 1° *An vel quando repetenda sint verba aut signa, sive certo, sive dubie omissa?*

2° *Quid dicendum de FLORIMUNDO in singulis casibus?*

SOLUTIO :

357. — R. ad 1<sup>m</sup> Quæs. 1° Si dubium consecrationem ipsam afficiat, et videatur fundatum, sub conditione ea repetenda est. Si vero dubium circa alia verba, signa, vel actus versetur, nihil est repetendum, quia ex una parte iis probabiliter satisfactum fuit, et ex alia parte hæc ad actionis sacræ essentiam non pertinent, nec eam invalidam efficere possunt.

2° Si de omissione verborum, vel rituum, extra consecrationem constet, repetenda erunt ea quæ omissa sunt, si sint notabilis momenti, et facile absque incommodo et populi admiratione repeti possint; secus transmittenda sunt, et actio sacræ prosequenda est.

358. — R. ad 2<sup>m</sup> Quæs. 1° *In primo casu*, si dubium sit prudens, potuit FLORIMUNDUS et debuit repetere consecrationem ab illis verbis : *Qui pridie quam pateretur*, absque Hostiæ elevatione, et absque aliis orationibus et ritibus, et prosequendum est ab eo loco ad quem jam per venit.

2° *In secundo casu* debuit repetere tantum consecrationem Calicis ab illis verbis : *Simili modo, postquam cœnatum est*; et facta illa consecratione secreto, quin populus, si adsit, ad errorem advertere possit, cœtera omnia transmittenda sunt.

3° *In tertio casu*, si privatim celebret FLORIMUNDUS, omnia omissa repetat, seu a signis et ritibus qui Orationem Dominicam præcedunt. Similitudine enim signorum deceptus, fregit Hostiam, dum debuisset tantum cum ea Calicem signare dicens : *Per Ipsum et cum Ipso*, etc. Si adsit populus, et ad errorem advertere possit, omnia transmittenda sunt, ne ansa obmurmurandi fidelibus præbeatur.

359. — 4° *In quarto casu*, sic in Rubricis Missalis, de *Defect.* § 10, n. 10 : « Si Hostia consecrata dilabatur in Calicem, propterea nihil est « iterandum, sed Sacerdos Missam prosequatur, faciendo cœremonias et « signa consueta cum residua parte Hostiæ quæ non est madefacta Sanguine, si commode potest. Si vero tota fuerit madefacta, non extrahat eam, sed omnia dicat omittendo signa, et sumat pariter Corpus et Sanguinem, signans se cum Calice, et dicens : *Corpus et Sanguis D. N. J. C.*, etc. »

## CASUS XIV.

## MODUS CELEBRANDI 2°.

*Perplexus Celebrans.*

LAMBERTINUS, neo-Sacerdos, cum celebrando ad Communionem sub specie vini pervenisset, aquam bibere sibi videtur. Obstupefactus quærit ex ministro an erraverit in porrigendo debito urceolo? Aspicit hic urceolum, negatque se errasse. At LAMBERTINUS rursus Calicem ori admovens, iudicat in eo non esse vinum, sed meram aquam. Idcirco jubet ministro, ut ex urceolo fundat aliquid in volam manus, exploretque quid in eo continetur. Mandato obtemperat minister, et fatetur se errasse, et aquam pro vino ministrasse. Quid vero faciet Celebrans? Non est jejunos cum aquam licet modicam biberit. Ex altera parte inceptum Sacrificium perfici necesse est. Sed quid supplendum, aut iterandum? Hæc intra se diu revolvit LAMBERTINUS. Tandem jubet afferri vinum cum nova Hostia; utramque consecrationem iterat, et populo adorandam Hostiam denuo attollit, omnemque Canonem a consecratione ad Communionem repetit cum magna adstantium admiratione. Absoluto autem Sacro, postulat anxius LAMBERTINUS utrum recte egerit, vel quid sibi fuisset faciendum?

HINC :

QUÆR. 1° *An utraque consecratio fuerit iteranda?*

2° *An omnia verba et omnes cœremonix repetendæ?*

3° *Si celebrans adhuc habeat aquam in ore, an eam deglutire possit?*

4° *Quid, si Sacerdos in sacristia, absoluto Sacro, indagando deprehendisset se loco vini aquam consecrasse?*

QUÆR. 5° *Quid, si Sacerdos stans ad altare dubitet an materia quam consecravisset sit vinum vel aqua?*

SOLUTIO :

360. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæst. Controvertitur.* Affirmat S. Thomas, etc. Negant vero alii insignes Theologi, quia videtur compleri prius Sacrificium, potius quam inchoari novum. In praxi servantur Rubricæ Missalis, de *Defect. tit. 4*, ubi præscribitur ut nova Hostia etiam consecratur in hoc casu, si, secluso scandalo, fieri possit; secus vero ut solum vinum consecratur.

361. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæst. Neg.* Satis est enim repetere ea quæ ad ipsam consecrationem pertinent, incipiendo pro priori consecratione a verbis : *Qui pridie quam pateretur...* et pro altera, a verbis : *Simili modo...* Sed oblatio Hostiæ et Calicis mentaliter fieri debet ante primam consecrationem.

*R. ad 3<sup>m</sup> Quæst. Affirmat.* Ratio est, quia inconveniens foret quod Sacerdos aquam rejiciat, præsertim si jam hauserit particulam consecratam, ad quam sollicitè in tali casu attendere debet. Nec obstat quod hoc modo jejunium naturale frangat, quia in illis circumstantiis id servatu moraliter impossibile factum est. Si particula adhuc sit in Calice, aquam effundat in vasculo mundo, retenta particula in Calice, vel eam reverenter sumat. Aquam vero effusam sumat post ablutionem, vel postea in piscinam mittat.

362. — *R. ad 4<sup>m</sup> Quæst. Controvertitur.* Alii cum Suarez, Tamburino, Gobat, dicunt defectum Missæ non esse supplendum, quia non potest tunc haberi continuatio ejusdem actionis. Sed communior sententia docet esse supplendum, si in sacristia sit locus aptus consecrationi; quia defectus substantialis corrigendus est, quoties continuo tempore corrigi potest. Atqui tempus quo Sacerdos ab altari revertitur ad sacristiam, censetur moraliter continuum cum Sacrificio : ergo defectus supplendus est, modo Sacerdos vestes sacras jam non deposuerit. Hæc sententia sequenda videtur. *Sic Elbel, n. 149.*

363. — *R. ad 5<sup>m</sup> Quæst.* Si Sacerdos prudenter dubitet utrum consecraverit vinum, vel aquam, et omnibus perpensis, dubium vincere nequeat, tenetur consecrare aliud vinum certum, si, secluso scandalo, fieri possit. Ratio est, quia secus Sacerdos se exponit periculo relinquendi Sacrificium mutilum et mancum. Hoc autem nunquam faciendum est, quando Sacrificium facile perfici potest. Ergo... *Elbel, ibid. — Lacroix, n. 535, etc., contra plures.*

## CASUS XV.

## DE RUBRICIS 1°.

*Quanta sit earum obligatio.*

PANCRATIUS, Sacerdos, Rubricistarum non primipilus, facile omnes difficultates in Sacro faciendo solvit; imo sæpius servare cœremonias aut

Rubricas parum curat. Quare : 1° sæpe celebrat sine amictu, manipulo, cruce, candelis cereis, quia hæc non statim sub manu invenit. 2° Item celebrat cum primo occurrente paramento cujusvis coloris, etiam nigri, licet pro vivis celebret. Imo aliquando Missam *de requie* legit, eamque vivis applicando. 3° Sacrum adeo celeriter peragit, ut intra quartam horæ partem illud absolvat. 4° Facile omittit varia Crucis signa, genuflexiones, orationes, seu commemorationes, *Gloria*, *Credo*, plura verba Canonis, v. g. Sanctorum nomina. 5° Ordinarie etiam omittit preces ante vel post Missam recitandas, seu in Rubrica adnotatas pro præparatione vel gratiarum actione, necnon preces singulas vestes induendo recitandas.

HINC :

- QUÆR. 1° *An, vel quomodo obligent Rubricæ quoad Missam?*  
 2° *Quid in genere de PANCRATIO sentiendum?*  
 3° *An, vel quomodo in singulis peccaverit?*

SOLUTIO :

364. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæ.* Omnes Rubricæ quæ servantur intra Missam sunt præceptivæ, juxta communem sententiam, cum rem adeo sacram respiciant. Obligant autem sub gravi, vel sub levi, pro gravitate vel levitate materiæ.

2° Rubricæ servandæ extra Missam, id est, ante vel post Sacrum, communiter habentur ut mere directivæ: tales sunt, v. g., orationes pro præparatione vel gratiarum actione. *Controvertitur* tamen quoad orationes quæ recitandæ sunt induendo vestes sacras; sed communis sententia tenet cum *S. Lig.* eas, secluso peccato veniali, omitti non posse. Tenet autem *Suarez*, hanc omissionem omni culpa vacare.

365. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæ.* In genere PANCRATIUS a peccato mortali excusari nequit, ob maximam incuriam quam in rebus adeo sacris habere videtur. Sane merito censetur incurrere illud anathema: *Maledictus qui facit opus Domini fraudulenter. Jerem. 48, 10.*

366. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæ.* 1° Non peccat graviter celebrando sine amictu, manipulo, cruce; secus, quando celebrat sine ullo lumine, vel cum candelis non cereis. Attamen, si unica sit candela cerea, veniale tantum erit, et, data causa, omni culpa carebit. *S. Lig. n. 394. — V. Comp. n. 392-399, etc.*

2° Peccat venialiter *per se*, non servando colorem ritui convenientem. Satisfacit vero substantiæ obligationis applicando vivis Missam cum colore et ritu defunctis consueto celebratam; sed peccato veniali non caret. *S. Lig. n. 328, 393, etc. — V. Comp. n. 377-393.*

3° Peccat graviter Sacrum ita celeriter faciendo, ut illud intra quartam horæ partem absolvat. Ratio est, quia in tam brevi tempore duos graves defectus committere debet: alterum gravis irreverentiæ erga SS. Sacramentum, alterum gravis scandali erga populum. *S. Lig. n. 400. — V. Comp. n. 384.*

4° *Per se*, venialiter tantum peccat omittendo seorsim varia Crucis signa, genuflexiones, orationes, commemorationes, modo non omittat tres

aut etiam duas orationes proprias Missæ celebratæ. Item, si pauca verba Canonis, ut nomen unum vel alterum alicujus Sancti prætermittat, etc. Item, si omittat *Gloria* vel *Credo*; et idem dicendum de qualibet omissione orationum, vel eorum omnium quæ sunt *extraordinaria* in Missa occurrente, seu quæ non semper in Sacro peraguntur, ut Symbolum Nicænum, si hæc seorsim sumantur. *S. Lig. n. 409. — V. Comp. n. 410.*

5° Minime peccat omittendo Rubricas extra Missam servandas, exceptis probabilibus orationibus quæ induendo vestes sacras recitandæ sunt, juxta dicta supra in responsione ad 1<sup>m</sup> Quæ.

## CASUS XVI.

### DE RUBRICIS 2°.

#### *Celebrans abundans et deficiens.*

GENEBALDUS, Sacerdos, dum Sacrum faceret, voluit juxta præscriptum Rubricarum vino consecrando aquam admiscere. Verum, præter intentionem suam, tantum aquæ effudit, ut dubitare licuerit an non superaret vinum calici prius infusum. Hæret anceps et dubius an novum vinum sit addendum, vel tota commixtio effundenda ad aliam congruam iterandam. Attamen consecrationem peragere statuit. Alia autem die, ut prædictum vitaret excessum, cautissime procedens, unicam duntaxat guttulam aquæ cochleari haustam ex urceolo miscuit vino, sed ita ut rursus dubitarit an guttula illa revera vinum attigerit, an vero potius in cuppa Calicis inhærens permanserit. Idem GENEALDUS, ut vino parceret, vel etiam ut purificatorium mundius servaret, sola aqua etiam in prima ablutione uti solet.

HINC :

- QUÆR. 1° *An vel quomodo peccaverit GENEALDUS, aquam nimiam vel permodicam effundendo in Calicem, ut in casu?*  
 2° *Quanta aqua vino immiscenda sit?*  
 3° *An liceat cochlearis usus ad aquam in Calicem infundendam?*  
 4° *An vel quomodo peccaverit GENEALDUS solam aquam in ablutionibus faciendis adhibendo? et an in hoc dari possint causæ excusantes?*

SOLUTIO :

367. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæ.* 1° GENEALDUS peccavit graviter in primo casu consecrando vinum, cui tantum aquæ admiscuerat, ut dubitaret an non superaverit vini quantitatem. *Ratio patet.* Etenim vinum tanta aqua delibutum, erat materia dubia; porro citra peccatum grave non licet consecrare materiam dubiam, nisi in casu necessitatis, seu ad perficiendum Sacrificium certo nullum, si materia certo valida desit. Ergo GENEALDUS debuisset calicem omnino evacuare, et novum vinum infundere, vel saltem

eidem materiæ in Calice contentæ immiscere tantum vini, ut iudicare posset materiam esse certo validam.

2º Etiam graviter peccavit *in secundo casu*, ubi dubitavit utrum vere guttula aquæ vino admixta fuerit. Ratio est, quia sine causa se exposuit periculo transgrediendi præceptum in materia graviter obligante. Etenim, hoc ipso quod GENEBALDUS dubitet an guttula vinum attigerit, pariter dubitat an aquam vino immiscuerit. Porro qui sine causa se exponit periculo transgrediendi præceptum Ecclesiæ graviter obligans, graviter peccat: ergo graviter peccavit GENEBALDUS. Igitur dubium suum dirimere debuisset, unam saltem guttam aquæ Calici infundendo, ita ut certus esset eam vino immixtam fuisse. *Lacroix*, n. 450. — *Elbel*, n. 19. — *Sporer*, etc.

368. — *R. ad 2m Quæ.* Sufficit ut modicissima quantitas aquæ vino infundatur, ut dicit *Conc. Florent.* Una sola gutta sufficeret, si certo constaret eam fuisse vino immixtam; sed generatim convenit infundere saltem septem vel octo guttas, ut magis constet eas quantitati vini esse junctas. Si octava pars aquæ vino infunderetur, materia remaneret valida et licita, juxta communem sententiam. Imo juxta *Lacroix*, — *Elbel*, — *Gobat*, — *Sporer*, et alios non paucos, aqua infundi posset usque ad quintam partem; et juxta *S. Thomam* cum aliis valida est consecratio, modo aqua tertiam vini partem non superet. Quod si involuntarie nimiam aquam infuderis, iterum aliqua vini quantitas tibi adjicienda erit. *S. Lig.* n. 210.

369. — *R. ad 3m Quæ. Neg.* Constat ex Declaratione *S. Cong. Rit.* 12 Aug. 1854.

*R. ad 4m Quæ.* Peccavit tantum venialiter GENEBALDUS in secundo casu, seu utendo sola aqua in Calicis purificatione, juxta communem sententiam. Posset aliquando in hoc Sacerdos eximi ab omni peccato ex causa sufficienti, v. g. si esset abstemius; vel si vinum esset rubeum, quo purificatoria evaderent indecenter maculata. *S. Lig.* n. 408. — *Lacroix*, n. 423.

## CASUS XVII.

### DE RUBRICIS 3º.

#### *Parum solers et infelix Celebrans!*

ASCANIUS, neo-Sacerdos, Sacrum faciens, dum vult amovere candelabrum quo Missale impeditur, illud evertit et lumen exstinguit. Dum autem vult candelam exstinctam ad aliam accendere, celerius agendo etiam hanc restinguit. Nihilominus Missam prosequitur, dum minister ad ignem quærendum discedit, licet jam Canon Missæ inceptus fuerit. Peracta consecratione, cum propius et citius Calicem signaret, illum infelici casu tangendo evertit, ita ut una sola Sanguinis gutta in eo remaneat. Quid faciet ASCANIUS in tantis constitutus angustiis? Dubitat an novam Calicis consecrationem facere debeat. Eam tamen omittendam esse potius judicat. — Nondum malorum finis! Facta Communionem, se accingit ad Eucharistiam fide-

libus ministrandam. Sed heu! dum scalas altaris descendit, fallente pede, ciborium e manibus excidit et sparsas passim Hostias colligere debet. Subinde accedit ad communicaturos; sed manu tremula Hostiam porrigens, modo genas, modo mentum communicantium tangit, antequam ad os deveniat. Tandem, dum Eucharistiam mulieri ministraret, sacra Hostia labia tangens e manu excutitur, et in collum et intra vestes hujus feminæ decedit, ita ut a Sacerdote minime accipi poterit.

HINC :

QUÆR. 1º *An vel quomodo peccaverit ASCANIUS, Missam sine lumine prosequendo; vel quid facere debuisset?*

2º *An consecrationem vini iterare debuerit?*

3º *An vel quomodo debuerit facere purificationem omnium rerum et locorum a SS. Sanguine, vel sacris Hostiis tactorum?*

4º *Quid, si Hostia decadat in vultum aut vestes communicantium?*

5º *Quid faciendum, si Hostia in sinum mulieris delapsa fuerit?*

SOLUTIO :

370. — *R. ad 1m Quæ.* Infelix ASCANIUS sane in praxi est omnino excusandus a culpa ratione simplicitatis, perplexitatis, et animi perturbationis. Sed, exstincto utroque lumine, consistere debuisset, præsertim incepto Canone. Imo, si lumen haberi non potuerit ante consecrationem, vel diu expectandum fuerit, debuisset Sacerdos a Missa desistere. Si lumen post consecrationem omnino defecerit, debuit aliquantisper consistere; attamen, si candelæ nequivissent statim accendi, melius fuisset pergere, ne deficeret Sacrificii unitas. Saltem non fuisset diu expectandum, v. g. ad quadrantem. Non licet autem unquam Sacrum absque ullo lumine facere, ne ad Viaticum quidem moribundo deferendum. Sed in casu necessitatis licet celebrare cum sola una candela etiamsi non esset cerea, imo, si nulla haberetur, cum sola lampade accensa, seu cum solo oleo.

371. — *R. ad 2m Quæ.* ASCANIUS recte judicavit consecrationem non esse iterandam. Ratio est, quia, cum remaneat pars aliqua Sanguinis vere sensibilis, quæ per modum potus sumi potest, satis est ut Sacerdos sub utraque specie communicet. Constat etiam ex Rubricis Missalis in responsione ad *Quæsitum* sequens referenda.

372. — *R. ad 3m Quæ.* 1º Si Hostia decadat in terram, locus est signandus, tegendus, et postea lavandus et radendus; si decadat in mappam, vel sacras vestes, locus notandus et postea abluendus.

2º Si Sanguis Christi effundatur in terram, vel in Altare, Sacerdos ore colligat, in quantum fieri potest, et postea lavet locum et radat, si terra vel lignum sit. Si triplex linteum Altaris Sanguine imbutum fuerit, triplex ablutio requiritur, et in omni casu aqua ablutio in sacrarium projicienda est. Sic enim Rubricæ Missalis, *de Defect.*, n. 15: « Si Hostia consecrata, vel pars aliqua ejus dilabatur in terram, reverenter accipiatur, et locus